









7734.

31.

1686, 5

6

DISPUTATIO JURIDICA  
MISCELLANEAS ALIQVOT  
THESES,

*M*

Exhibens

Quam

DIVINI NUMINIS FAVORE,  
MAGNIFICI ATQUE AMPLISSIMI ICTORUM  
ORDINIS CONSENSU,

IN ACADEMIA PATRIA  
SUB PRÆSIDIO

*2 1/2*

VIRI

*Præ-Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi  
atq; Excellentissimi,*

**DN. THEODORI PAULI,**

*J. U. D. PROFESSORIS PRIM. NEC NON SEREN.  
ELECT. BRAND. CONSILIARII, ET JUDICII AULICI RER: CRIM:*

*Præsidis gravissimi hocq; tempore Facult. Juridic. Decani  
Spectabilis, Fautoris, Promotoris, Præceptoris, atq; Hospi-  
tis mei ad urnam æstimatissimi fidelissimi,*

*Exercitii gratiâ publicè ventilandam proponit*

**GEORGIUS PRUSZYCKI,**

REGIOMONTE PRUSSUS

*Ad diem IX. Julii ANNO M DC. LXXXVI  
IN AUDITORIO MAJORI HORIS CONSUETIS*

REGIOMONTI

*Ex Typographiâ Reichianâ.*





*VIRIS.*

*Admodum Reverendo, Excellentissimis, Amplissimis atq; Consultissimis*

**DN. CHRISTIANO DREIERO,**

S. THEOL. D. PROFESS. PRIMAR. CONCIONATORI  
AULICO, CONSISTORII SAMB. ASSESS. GRAVISS.  
ACADEM. REGIOMONT. SENIORI VENE-  
RANDO, Patrono atq; antehac per biennium  
hospiti meo munificentissimo.

**DN. THEODORO PAULI,**

J. U. D. PROFESS. PRIM. SEREN. ELECT. BRAND.  
CONSILIARIO, JUD. AULICI RER. CRIM; PRÆSIDI  
SPECTATISSIMO, p. t. FACULTATIS JURI-  
DICÆ DECANO SPECTABILI, Patrono,  
Præceptori atq; per triennium hospiti meo  
venerationem devenerando.

**DN. JOH. CHRISTOPH. BOLTZEN**

J. U. D. PROFESS. SECUND. JUDIC. SUPREM. quæ  
in Prussia sunt, ADVOCATO SOLERTISSIMO, Pa-  
trono atq; Præceptori meo multis nominibus su-  
spiciendo.

**DN. ACHAT. CHRIST. RANGERO**

J. U. D. PROFESS. TERTIO, CONSISTORII SAMBIEN-  
SIS ASSESSORI GRAVISSIMO, Patrono atq;  
Præceptori meo semper fidelissimo, hono-  
ratissimo,

*Disputationem hanc in meo meorumq; studi-  
orum commendationem cum omnigena  
prosperitatis voto offero atq; dico*

GEORGIUS PRUSZYCKI,  
AUTOR.



TH. I.

**J**ustitiam *Philosophus lib. 5. ad Nicomach. c. 3.* dicit  
 aliam esse universalem, aliam particularem, hancq;  
 rursus dividit in commutativam & distributivam.  
 Aliis prorsus non probatur hæc distinctio propter rati-  
 ones, quas adducit *Bachov. ad præta pag. 11.* qui ibi-  
 dem pag. 13. existimat, unam justitiæ speciem rectius con-  
 stitui, quæ tamen diversas habeat functiones, pro qualita-  
 le objecti, de quo quæritur. Alii duplicem justitiam uni-  
 versalem agnoscunt, aliam absolutam & simpliciter ta-  
 lem, aliam relatam & Politicam, vel Legalem, de quâ vid.  
*Heig. in comm. ad pr. J. de J. & J. Christoph. Ebemi-  
 um de Principiis juris lib. 5. c. 3. Grotius quoq; de J. B. & P.  
 lib. 1. c. 1. §. 8.* Justitiam prorsus aliter distinguit, nempe in  
 attributricem & explettricem. Ex toties autem variata  
 à Doctissimis viris justitiæ divisione præsumptio oritur,  
 illam non satis perspicue esse propositam, quod fortassis  
 etiam verum est. Ego justitiæ vocabulum inter ea, quæ  
*πολλαχῶς* dicuntur, referendum esse puto. Absoluta justiti-  
 a vel simpliciter ita dicta est *universalis*, virtus nempe  
 universa & perfectissima: reliquæ species saltem secun-  
 dum quid ita dicuntur, hincq; de naturâ perfectissimæ  
 secundum magis & minus participant. Quarum infimam  
 Speciem non absurdè forte dixeris Legalem, externam  
 nempe legum Reipublicæ præscriptarum observantiam,  
 quæ non de adverbis sed adjectivis sollicita est, id est, quæ  
 non curat, an homines justè, sed tantum an justa agant,  
 quæ subindè parum sollicita est, liberenè quid fiat, an coa-  
 ctè, item, quæ, uti solius animi vitia non punit, ita nec vir-  
 tutes mentales remuneratur. Et hanc solam Jurispruden-  
 tiæ finem esse hæc vice defendam.





## TH. II.

**U**ndē simul patet, me nec universalem nec particularem justitiam (: prout in ethicis traduntur:) finem Jurisprudentiæ constituere.

## TH. III.

**J**ustitiam Legalem non divido in commutativam & distributivam (1) quia distributio præmiorum non fit in judiciis (2) quia in judiciis omnia legibus jam latis deciduntur & corriguntur. Sed lex lata, quæ suum cuiq; tribuit, arithmeticā vel simplici æqualitate utitur.

## TH. IV.

**C**ui insimul consequens est, frustrā disputari: ex quā justitiæ particularis specie Juri pœnas infligant? Etenim qui legi jam latæ alligatus est, is simplici seu arithmeticā tantum proportionē utitur, quia is non comparat Personam cum persona, id est, rusticum cum nobili, sed saltem factum cum lege. At Legislatores & Politici legem adhuc laturus Geometricē pœnas constituit, dum aliter nobilem & Generosum, aliter abjectum nulliusq; pudoris hominem coercendum esse statuit, modone lege Divinā Christianos etiam in Novo Testamento obligante, certa & generalis pœna jam sit præfinita. De tali crimine leges etiam adhuc rogandæ, non aliā, quàm arithmeticā æqualitate concipiuntur, ita ut vulgò rideatur Casimirus Rex Polonia, qui apud *Herburtum in Statut. Regn. Polon. pag. 149.* quamvis (ait) occidens hominem secundum DEI & legum sanctiones capitali pœnâ esset plectendus, nos tamen rigorem illum temperantes etc.

## TH. V.

**P**rincipem Legibus solutum esse, inquit l. 31. ff. de LL. quod non simpliciter accipiendum esse censeo, sed tan-



tum de Legibus civilibus & positivis, quippè quibus Princeps simpliciter & semper solutus est, ità tamen, ut si velit, iisdem quoq; vivere possit. Quando verò de jure suo remittit, seq; legibus subjicit, facit id tunc extraordinarie, non potestate quâdam, quam hòc pacto nullam exercet, sed modestiâ, ut subditis suis exemplo præluceat. Vid. *Ungewaur Ex. 2. qv. 5. in Nego. in fine.* Ast Divinis legibus obligatur, ut subditus DEI, Naturæ ut homo, Gentium verò uti civilis & moratus Princeps. vid. *Excell. DN. PRÆSES. ad §. 6. I. de J. N. G. & C. qv. 10. & 11.* Ex necessitate tamen Reipublicæ aliquid pactis adversum admittens, jus naturæ non violat, *Bachov. ad πρῶτα pag. 146.* pro quâ necessitate regulariter præsumendum esse puto.

#### TH. VI.

**N**um quis possit cogi, ut rem suam alteri vendat, quaritur? Et quanquam alicui videri posset sententia negativa probabilior (1) obl. 11. C. de Contrah. empt. ubi dicitur: In vitum comparare vel disrāhere postulantis desiderium justam causam non continet. addatur l. 16. C. de Jure deliber. Cujus rei ratio hæc est, quod nulli hominum jus suum sit detrahendum §. 2. J. de his, qui sui vel alie. jur. st. (2) quia emptio & venditio ex eorum contractuum numero est, qui consensu perficiuntur. t. J. de Oblig. ex consens. sed qui cogitur aliquid facere, non videtur consentire, cum consensu nihil magis contrarium sit, quàm vis & coactio. Istis tamen rationibus hic non obstantibus, affirmare licet, aliquandò quem cogi posse ad vendendum, quod probatur ex §. Ulf. J. de his, qui sui vel alieni juris sunt, ubi domini servos suos malè habitos & intolerabili fœvitiâ affectos bonis conditionibus vendere jubentur.





TH. VII.

**D**issentio ab *Antbonio Mathei*, qui in *Not. ad §. 1. J. de his qui sui vel alieni*. per bonas conditiones intelligit justum pretium. Verum cum pretii peculiaris mentio in hoc §. fiat, hæc verba cum *Borcholt* melius ad servum, quam Dominum refero. Quare dum Antoninus præcepit, servos intolerabili servitiâ affectos bonis conditionibus vendi debere, hoc intendit, nempe Dominis integrum esse non debere, in odium servi vendendi iniquas conditiones adjicere, v. c. ut servus ab emptore vapularet, ut in compedibus laboraret, aut habitaret in regionibus, quæ tam gravi & immiti cœlo sunt, ut nemo id, nisi qui diu asveverit, ferre possit etc. Ne igitur tale quid fieret, Antoninus studio venditionem istiusmodi bonis conditionibus adstrinxit, cum aliàs, si verba: *Bonis conditionibus ad Dominum non servum* referre velis, istâ Constitutione servis parum aut nihil prospectum foret.

TH. VIII.

**S**ervis ipsis nulla injuria fieri intelligitur, sed Dominis per servos, inquit §. 3. *J. de Injuriis*, ratio hæc posset dari, quoniam injuriarum proprio nomine agere nequeunt. Nam injuria præsupponit privationem honoris & dignitatis l. 1. §. 2. *de Injur.* sed servorum nullus est honor nullaq; dignitas l. 32. §. 6. *de Donat. int. vir. & uxor. l. 3. fin. de Capit. minut.* Exinde optimè sequitur, servis injuriam non fieri. Quicquid tamen sit, & servis ipsis, certo quodam respectu, injuriam fieri defendam.

TH. IX.

**R**usticus si propter servitiâ ab agro aufugerit, reverti non tenetur, nisi ipsi à Domino cautio de non offendendo præsterur, quam judex aditus ex officio decernere potest



petest, per ea, quæ tradit *Medius P. 4. Decis. 19. n. 3. quia* ordinarium securitatis, contra quamcunq; vim, remedium est, omni jure naturali nempe, Civili & Canonico fundatum, *ibid. num. 4.*

### TH. X.

**D**E mercenariis nostris servis & ancillis quaeritur, num  
ii pro delictis domesticis, in ea domo, in qua serviunt,  
in carcerari possint? Et puto, negativam hoc in casu tenendam esse, quia nemini, nisi cui jurisdictione competis, carcer permittitur, secundum *l. unic. C. de Privat. carcer. inbib.* Sed nemo privatorum regulariter Jurisdictionem in domo sua habet, inde nec licebit dominis privato carcere mercenarios castigare, sed iudex hoc in casu ad eundem, qui secus fecerit, poenis subjacet, quibus afficitur turbator & usurpator Jurisdictionis publicæ. (Quæreret autem aliquis, qualis ea poena sit? Et respondeo, *cit. l. unic. C. de Priv. Carc. inbib.* dicere, eos, qui hoc criminis genus admiserunt, tanquam ipsius majestatis violatores, ultimo subjugandos esse supplicio. Verum *Julius Clarus in pract. Crim. lib. 5. §. fin. qu. 68. n. 32.* dicit, in praxi reum privati carceris non affici ultimo supplicio, sed mitius puniri, prout in facti contingentia servavit Parlamentum Burdegalense, quod condemnavit in poenam pecuniariam tantam quendam dominum, qui famulum suum diu in privato carcere detinuerat. Haec habet *Clarus cit. loc.*) Etenim tale quid in Republica pati, initium foret perniciosissimæ confusionis, dum quot domus, tot tandem Jurisdictiones orirentur. Non tamen est prohibitum, custodia causa famulum in fuga deprehensum, vel de fuga suspectum, propter delictum, quod magistratui indicandum est, domi inclusum tenere, donec copia iudicis fiat. Per quod autem tempus eum detinere possit, vid. *Clar. loco supra alleg.*

A 4

TH. XI.





TH. XI.

**N**obilis in prædio vel pagò suo habens jurisdictionem, vi istius etiam in gravioribus, nedum domesticis delictis, non solum custodiae, sed & poenæ causâ suos carceri includere propriâ auctoritate potest, ita tamen, ut cautè procedat, ne ut iudex in propriâ causâ durius quid statuat, vel carcere, (qui regulariter custodia esse debet) ad macerandum servum, crudeliter in vicem torturæ, abutatur. Hoc enim si fecerit, pro admitti atrocitate jurisdictione poterit privari. vid. *Philip. Usupract. ad Tit. l. de his qui sui l. alieni jur sunt. Eccloga 43.*

TH. XII.

**M**ercenarii servi si dominis damnum dederint, aut aliâ ratione se contumaces præbuerint, verberibus à quocunq; domino juste excipiuntur, quæ tamen magis in pietate quàm atrocitate consistere debeat per l. 5. π. ad L. Pomp. de Parricid. Jndè, si ex vulneribus mutilatio sequatur, quæ servum quâdam corporis parte, ad solitas operas præstandas ineptum reddat, tùm Dominus non tantùm in impensas chyrgorum & medicorum, sed etiam ex arbitrio iudicis in certam pecuniæ summam, tam pro doloribus, quàm lucro operarum deinceps cessante, mutilato solvendam condemnatur. Quin imò si servus vel ancilla planè operas amplius præstare nequeant, fortè, quod oculi excussi sint, Dominus ad dies vitæ eluscato alimenta præstare, nec non publico pro arbitrio iudicis satis facere tenetur, quia Reipublicæ interest, ut mercenariis Hominibus securitas præstetur, aliàs enim in nullius servitium facilè concederent, quò ipsò Res omnium familiaris detrimentum capere posset. Aliud dicendum, sicubi ex vulneribus mors insequuta sit, ubi disting-  
vendum



guendum est, an vulnera vel instrumenta lethalia fuerint, quò animò percusserit etc. anverò per accidens ex verberibus aliàs moderatis, & præter Domini intentionem infeliciter cadentibus tale quid acciderit. Priori casu ordinaria L. Cornelia poena locum habet; posteriori verò non tenetur Dominus, nisi ad extraordinariam, quia crimen contrahitur, si & voluntas nocendi intercedat, aliàs ea, quæ ex improvise, casu potius quàm fraude accidunt, fato plerumq; non noxæ imputantur per l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicariis,

TH. XIII.

**H**eram ancillam mercenariam meretricem appellantem injuriarum actione teneri *Medius tradit ad Jus Lubecense Lib. 3. Tit. 8. art. 10. n. 15.* Ego negarem ex rationibus, quas in conflictu proponam.

TH. XIV.

**J**us vitæ & necis Parentum in liberos est irrationabile.

TH. XV.

**A**dulterium malè definitur per violationem fidei conjugalis, quin potius cum *Antonio Mathei in Tract. de Crimin. ad lib. 48. Tit. 3. §. ad L. Jul. de Adult. c. 1. n. 3.* dicendum esse autumo: Adulterium esse vitiationem ejus, quæ alteri nupta est.

TH. XVI.

**M**aritus quippe cum persona solutâ consuescens, non adulterii, sed stupri tantum gravioris & qualificati (pro ut nonnulli loqui amant) reus est, cum adulterii vera definitio eidem applicari nequeat, quippe cum uxor non maritus habeat thorum. Nec quicquam me movent *DNI. Carpzovii rationes in Pract. Crim. 1. 2. 97. 52.* quas doctissimè refutavit *Excellentissimus DN. PRÆSES in disputatione quadam publicâ Ao. 79. habitâ,* quæ omnino videatur.

TH. XVII.

**A**dulterium etiam in sponsam committi assero per l. 13. §. 3. π. ad L. Jul. de Adult. sed improprium.

B

TH. XVIII.



TH. XVIII.  
**S**ponsalia non puto esse actum legitimum, quia plurima dantur conditionata, actus autē legitimi per adjectionem temporis conditionisve in totum vitiantur per l. 77. ff. de R. J. conf. ad h. l. *Johan à Sande*. Sed contractum propriè talem & verum, qui consensu perficitur per l. 30. ff. de R. J. l. 15. ff. de Condit. & Demonstr.

TH. XIX.  
**S**ponsalia de futuro dari penitus nego.

TH. XX.  
**A**n post benedictionem Ecclesiasticam Nuptiæ statim omni ex parte sint perfectæ quæstionis est? Affirmat id *Habniius ad Wesembec. de Ritu nupt. n. 2. Grot. in Introd. in Jurispr. Batav. l. 1. c. 5. n. 24.* & allegati apud *Arnoldum Reijger Thesaur. Pract. voce spons. in Addit. n. 10.* Nonnullibi autem ratione successionis illi, qui in thalamum nondum conscenderunt, etiamsi per sacerdotem juncti sint, adhuc dum effectu juris sponsi non conjuges moriuntur, etiam de *Jure Prutenico lib. 5. Tit. 12. art. 5. §. 7.*

TH. XXI.  
**C**onditio est rei aut facti dubii & per consequens futuri eventus, qui aliter atq; aliter se habere, id est contingere & non contingere potest. Inde concluditur conditiones sic dictas necessarias & impossibiles non esse conditiones.

TH. XXII.  
**C**ap. ult. X. de conditionibus appositis, quoad conditiones impossibiles cum DNO. *Brunnem. de Jure Ecclesiastico lib. 2. c. 16. §. 14* pro irrationabili habeo.

TH. XXIII.  
**L**iberos agnoscere, alere, heredes instituere vel exheredare propriè loquendo non sunt effectus patriæ potestatis.

TH. XXIV.  
**C**um à Tutelâ vel Curâ possit excusari, qui tres liberos superstitite



perstites Romæ habet, vel in Italia quatuor, vel in provinciis  
quinque; per *pr. J. de Excusat. Tutor.* non abs re est quærere, cur  
prædictus numerus ad immunitatem potius quam alius sit  
præscriptus? Et respondeo, hanc rem ex illarum numero esse,  
quarum ratio ex Jure reddi non potest, quia juris est  
arbitrarii constitutione illâ Severi, quam refert Jctus  
Modestinus in *l. 2. §. 4. de Excusat.* introductum. Inde huc  
pertinere videtur *l. 20. D. de LL.* quæ dicit: Non omnium,  
quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi potest.

TH. XXV.

**D**icitur porro in *pr. J. de Excusat. Tutor.* Filios superstites  
ad tutelæ vel curæ muneris excusationem prodesse, de-  
functos non item. Excipio tamen eos, qui in acie, id est in  
ipso prælio seu conflictu sunt interempti, non qui in castris, in  
obsidione, in hybernis aut æstivis sunt mortui, per *l. 18. de  
Excusat.* ratio hæc est, quia qui pro Republicâ ceciderunt, in  
perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. Id quod DD.  
etiam ad eum casum extendunt, ubi quis in acie lethaliter  
vulneratus, ex illò vulnere postea etiam extra castra mortu-  
us est, quoniam hæc invicem comparari soleant, mortu-  
um videlicet statim, & lethaliter vulneratum esse. vid. *Heig.  
comm. ad b. l. n. 12. 13. Harpr. hic num. 11.* quorum sententiæ  
subscribere non vereor.

TH. XXVI.

**P**ossessores rerum immobilium satisfacere non compellun-  
tur per *l. 15. pr. Qui satisf. cog.* Quam assertionem non  
tantum de rerum immobilium, sed etiam de quibusdam  
rerum mobilium possessoribus, videlicet iis, qui actiones ad  
res comparatas habent, item, qui annuos redditus, aut res mo-  
biles, quæ non facilè amoveri queunt, possident, ut merces in  
tabernis, accipi posse cum Dno. *Struvio Syntagm. J. Civ. Ex. 5.  
Th. 25. statuo.*

TH. XXVII.

**D**e delictis capitalibus commissis non committendis *l. 27.  
§. 4. ff. de Pact. seu iis, quæ panam sanguinis ingerunt, &*



ante & post institutam accusationem tam accusans quam accusatus impunè transigere possunt, ità, ut reus non habeatur pro confesso. Nec officit *l. 5. D. de his, qui not. inf.* ubi dicitur: Intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur; cum hic reus non intelligatur confiteri crimen, quia de vitâ hominis hic agitur, quin potius ob dubium litis eventum, miserationis ratione præsumatur magis periculo mortis territus, quàm sceleris conscientiam pecuniam dedisse *l. 1. ff. de bonis cor. qui ante sentent. vid. Vinnius in Tract. de Transact. c. 7. n. 1. & seq.* Nec actor incidit in pœnam talionis, aut S<sup>c</sup>tum Turpillianum, nec consequenter fit infamis, nec punitur extra ordinem, licet exceptam accusationem deseruerit, ac abolitionem non impetraverit argt. *l. 13. §. 1. ad S<sup>c</sup>tum Turpill.* ratio de promenda est ex *l. 1. §. 1. de bon. cor. qui ante sentent.* ubi habetur: Ignoscendū est illi, qui qualiter qualiter sanguinem suum redemptum voluit, *add. l. fin. §. de Prævaric.* & quia nimis durum esset, ut, qui in re tam ardua quid dedit, vel promisit, haberetur pro confesso. *Schot. Ex. Jurid. ad Tit. de Transact. qu. 5.* Excipitur crimen adulterii, quatenus capitale est, atq; pœnam mortis ingerit, de quò transigere nullatenus possumus per *l. 18. C. de Transact. l. 10. C. ad L. Jul. de Adult. rat. (1)* quia hic transigens lenocinii se reum facere videretur (2) ratio est sceleris ejus criminis & gravitas defectusq; probationum, quia clam solet committi. *Schotan. in Colleg. Jurid. Diss. 16. th. 11.* & quia hoc crimen probrosum est toti civitati, vel quia paucis personis adulterii accusatio permessa fuit, *l. 30. C. ad L. Juliam de Adult.* indè facilè fieret ut admittâ transactione scelus impunitum maneret; vel quia ex eo crimine sequuntur gravissima mala dedecus mariti, occasio cædium, corruptio clarorum natalium, successio filii adulterini, sordidumq; sit marito & consanguineis adulteræ super hoc crimine transigere. Ratio. L. Julia hæc esse videtur, quia eâ lege adulterium nondum erat capitale. *Fabianus lib. 1. Controv. c. 8. §. c. 26. Dn. Strauch Diss. 26.*



26. apb. 7. Excell. DN. D. Boltzius Disp. fin. Select. Thef. Jur. Certi & Contror. §. 4. circa finem, qui prolixè & satis doctè idipsum probat, etsi DN. Struvius Ex. 6. tb. 61. cum Vinnio in Tract. de Transact. c. 7. n. 17. idipsum affirmant. Cœterum firmiter mihi persuasum habeo, exceptionem de adulterio allatam ad crimen læsæ Majestatis extendi non posse, nec debere, inde cum Excell. DN. D. Rangero in Pralect. suis ad Schot. Exam. Jurid. qu. 9. Tit. de Transact. & Schot. Coll. Jurid. Disp. 16. tb. 9. ut & cum Dno. Struvio Synt. J. Civ. Ex. 6. tb. 61. à sententia Doctissimi Dni Brunnemanni ad l. 18. C. de Transact. modeste recedere me jubet juris regula: Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, quicquid etiam Clericus ad Schot. dixerit

TH. XXVIII.

**R**epressalia, Saxonibus & Anglis Withernamium, Gallis, ubi à Rege id impetrari solet, litera Marca dicta (quæ secundum Coler. P. 1. c. 2. n. 302. & seqv. sunt extraordinarium remedium, quò mediante creditor extraneus forensis, res aut homines concives, vel comprovinciales debitoris sui, vel ejus loci, in quò ipsi denegata sunt justitia, superioris autoritate interveniente, in ejusdem territorio detinet, pro juris sui & debiti liquidati, aperti, probati, ad quod aliter pervenire non potest, compensatione) cum belli speciem habeant, non facile concedi debent. Interim tamen illas naturali æquitati minimè adversari cum Limnao l. 4. Jur. Publ. c. 8. n. 313. seq. & Doctifs. DNO. Zieglero ad Grot. lib. 3. de J. B. & P. c. 2. §. 4. arbitror, præcipuè si certa illa requisita certaq; conditiones tum à Dno. Ziegl. l. c. cum à Schot. Exam. Jurid. Tit. de Repress. qu. 1. recitatae ibidemq; à Clerico appositæ, concurrerint.

TH. XXIX.

**P**aulus in l. 1. c. de L. Rhod. de jactu. dicit: si levandæ navis gratiâ jactus mercium factus est, omnium contributione illud sarciatur, quod pro omnibus datum est. Ergo omnes ii contribuere tenentur, quorum res salvæ manserunt, etsi ex res  
salvæ





salvæ navem minimè oneraverint, sic ex. gr. margaritarum collatio facienda est, quia mercatoris intererat, ne margaritæ cum navi mergerentur. Et hic non quantitatis, sed valoris habetur ratio, quia non viliores res, sed graviores jactantur, ut pretiosiores servarentur, idem & de annulis intelligimus, ratio dictorum est, quod æquissimum sit, commune detrimētum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consequuti sunt, ut merces suas haberent salvas, *l. 2. pr. ff. de L. Rhod. de jactu*, & si non esset factus jactus, navis unâ cum annulis periisset. Quæritur autem, quid juris sit in cibariis, an & eorum collatio fieri debeat? Respondeo distinguendo, sc. eorum collationem non fieri, sicubi ea navi cibandi gratiâ imposita fuerint, secus verò, si sint loco mercium, ex quibus lucrum facere volumus. conf. *Cleric. ad Schot. Tit. de L. Rhod. de jactu qu. 7.*

TH. XXX.

**B**ona naufragorum ad littora maris ejecta num fisco cedant, quæritur? Et Resp. quod non, quia inconveniens est, ut fiscus ex alienâ calamitate lucrum sentiat, & quia afflictio non est addenda afflictio *l. 1. C. de Naufrag.* Et quamvis olim consuetudine introductum fuerit, bona naufragorum cedere debere fisco, hanc tamen consuetudinem ceu irrationabilem sustulit *Imper. Fridericus in Auth. Navigia C. de Furt.* Interim tamen distinguendum esse autumo inter eum, qui res suas animo derelinquendi, & eum, qui animo recipiendi abjecit, priori in casu res abjecta non tantum fisco, sed & inventori cedere potest, posteriori non item. Quid autem requiratur, ut res pro derelicto habeatur, vid. *Dn. Strauch. Diss. 6. apb. 40.* sc. res jactæ ejusmodi, quæ aquis non pereunt, non habentur pro derelicto, secus in his, quæ pereunt, ut sunt frumentum, sal, saccharum, crocus &c. conf. *l. 43. §. ii. ff. de Furt.*

TH. XXXI.

**T**utores dativi satisfacere debent, ne pupillorum pupillarumve negotia à tutoribus consumantur aut diminuuntur, præcisè datis fidejussoribus, non pignoribus per



*l. 7. π. de Prator. stipul. ubi:* Prætoriam satisfactionem (qualis est, de quâ loquor) personas desiderant pro se intervenientium & neq; pignoribus quis, neq; pecuniæ vel auri vel argenti depositione in vicem satisfactionis fungitur. Neq; juratoriam cautionem hic locus est, *Mynsing. ad pr. J. de Satisf. Tut. & Curat. n. 4. Schneid. hic n. 4. Heig. n. 10.* Ubi enim, inquit DN. *Brunnem. ad hoc pr.* satisfactio vel cautio sufficiens exigitur, & alio modo consultum alicui esse potest, quam per juratoriam cautionem, nemo cogendus erit, ut se fragilitati ejus cautionis committat. At Tutores testamentarii, item ex inquisitione dati satisfacere non coguntur, ratio priorum hæc est, quia eorum fides & diligentia ab ipso testatore approbata est, posteriorum vero, quia hi idoneè electi sunt *pr. J. b. t.* Quam assertionem tamen non simpliciter veram esse censeo, quippe cum fieri possit, ut mores tutoris mutantur, ejusq; facultates minuantur, seu ut *l. 4. ff. de Testam. Tutel.* loquitur, ex amico inimicus effectus sit, quibus in casibus utiq; & ii satisfacere tenebuntur, conf. *l. 8. & l. 10. ff. de Confirm. Tut.* Hinc optime inquit DN. *Stryk ad b. pr.* Tutorem Testamento datum interdum plane rejicere posse judicem, sic enim Prætor magis utilitatem pupilli, quam scripturam testamenti sequitur vid. *Brunneman ad b. t. n. 5. & seqq.*

TH. XXXII.

**I**N contractu Locationis Conductionis debet præstari dolus culpa lata & levis, non levissima, quod probo per *l. 5. §. 2. ff. Commodat.* quia in hoc contractu utriusq; contrahentis utilitas versatur. Nec thesin meam evertit *l. 25. §. 7. π. Locat. Conduct.* ex quâ colligitur, conductorem præstare debere culpam levissimam. Verum ad hanc legem optime respondet *Excell. DN. D. Ranger in Pralect. suis ad Schot. Exam. Jurid. ad Tit. Locat. Conduct. qu. 25.* distinguendo videlicet inter locationem operarum & rerum, priores debent præstare culpam levissimam, quia ii eam promississe videntur, de quâ loquitur *lex alleg. 25. §. 7. ff. Locat.* posteriores vero tantum culpam latam & levem.

Th. XXXIII.





TH. XXXIII.

**F**ilius familias beneficio S<sup>C</sup>ti Macedoniani renunciare non potest, quia hoc S<sup>C</sup>tum Maced. *rupias* & principaliter in favorem Parentis & Reipublicæ introductum est, ne (1) filii fam. accipiendo pecuniam invitarentur ad luxuriam, ne (2) illi hoc modo corrumperentur, ne (3) filii vitæ Parentum infidiarentur, quod fieri potest, quando Parentes pro iis solvere nolunt. Quæ enunciatio amplianda venit, & si filius fam. illam renunciationem jurejurando confirmaverit, obtestatusq; fuerit, quia juramentum appositum actui invalido, istum actum non reddit validum per *l. 5. C. de LL.* Jus Canon. mitius hoc in passu statuit, constituendo, renunciationem S<sup>C</sup>ti Maced. jurato factam valere, quia juramentum, quod non vergit in dispendium æternæ salutis, est servandum, *c. 28. X. de Jurejur.* Jus nostrum *Provinciale Prut.* hoc in casu Jus Civ. sequitur *Lib. 1. Tit. 25. art. 14. §. 5.*

TH. XXXIV.

**V**irgines, mulieres & viduæ beneficio S<sup>C</sup>ti Vellejani renunciare possunt per *l. 32. §. 4. ff. ad S<sup>C</sup>t. Vellej. § Nov. 118. c. 5.* Ut tamen hæc renunciatio valeat, oportet eas prius de privilegio & jure suo certiores fieri & admoneri conf. *Jus Prut. Lib. 1. Tit. 25. art. 13. §. 4.*

TH. XXXV.

**V**erba: *ab herede præstanda*, quæ habentur in definitione Legati §. 1. *3. de Legat.* rectissimè addita sunt, quamvis ea nec veteres libri, nec *Theophilus*, nec *Harmenopulus lib. 5. Tit. 10.* nec veteres interpretes latini, inter quos *Accursius*, agnoscant. vid. *DN. Strauch Diss. 10. apb. 1.*

TH. XXXVI.

**T**estator etsi juraverit, se priorem suam voluntatem non revocaturum, tamen eum hoc facere posse statuo, quia nemo eam sibi dicere potest legem, ut à priori voluntate recedere non liceat *l. 22. pr. π. de Legat. in. 3.* & quia ambulatoria hominis voluntas est usq; ad extremum vitæ exitum. *l. 32. §. 1. ff. de Donat. int. vir. § uxor. l. 4. π. de Adimend vel transff. legat-*



TH. XXXVII.

**F**urtum committit is, qui rem, quam utendam accepit, in alium usum transfert, quàm cujus gratia ei data est §. 6. *J. de Obl. quæ ex delict. nasc.* v. g. si quis equum commodatum sibi ad valetudinem & animi recreationem longius aliquò duxerit, furtum committere dicitur. Quam propositionem *Imper.* in §. subsequenti limitat, sc. nisi is, qui re commoda-  
tâ aliter utitur, quàm utenda ipsi concessa est, credat, domi-  
num rei commodatæ idipsum esse permissurum, quò casu ta-  
lis crimen non videtur contraxisse, optimâ profectò distin-  
ctione, quia furtum sine affectu furandi non committitur.  
Quâ occasione quærere placet, an si studiosus ultra tempus  
conductionis equum retineat, furtum usûs committat? Et  
puto, quod non, hâc tamen cum limitatione, modò talis e-  
quus conduci solitus fuerit: videtur enim conducens eun-  
dem pro eodem pretio reconduxisse, & probabiliter crede-  
re potest, dominum rursus equum alteri pro eodem pretio  
commodaturum esse: si verò equus non sit meritorius, neq;  
à domino locari solebat, furtum usûs verius committi vide-  
tur.

TH. XXXVIII.

**T**orturam quatenus significat dolores tolerabiles, quibus  
iudex præcedente certò delicti corpore, præviisq; legi-  
timis, dubiis tamen adhucdum indiciis reum negantem, tor-  
turaq; habilem & capace, contra indicia satis auditum &  
defensum, afficit, ad confitendum delictum, quando veritas  
aliter haberi non potest, justam & legitimam esse puto.

TH. XXXIX.

**F**urtum justè capitali supplicio puniri sentio.

TH. XL.

**R**etorsionem injuriarum verbalem in Jure fundamentum  
habere puto.

TH. XLI.

**V**idua honestè viventes in jure nostro virginibus æquipa-  
rantur. vid. *Beustium de sponsal. c. 30. p. 45. in fine.*

C

Obli-





**O**bligaciones rectè ad jus rerum relatæ sunt. Aliud nam-  
què est jus personarum, aliud personale.

TH. XLII.

**M**agnis animis hoc seculo agitata quæstio est: an mutu-  
um sit alienatio? *Salmasius* negavit; Ego à parte affirmanti-  
um hâc vice stabo.

TH. XLIII.

**F**idejussor, qui se obligavit tanquam principalem, vulgo  
selbst Schuldner / beneficium excussionis seu ordinis amit-  
tere, verius esse arbitror.

TH. XLIV.

**V**enditor facultatem rei tradendæ habens ad traditionem  
præcisè non obstringitur.

TH. XLV.

**I**n Locatione Conductione merces non nisi in pecuniâ nu-  
meratâ consistere potest.

TH. XLVI.

**V**estimentorum non quasi, sed verus usus fructus est.

TH. XLVII.

**A**urum vel argentum etiam signatum contra *Hotoman-*  
num omnino ad res corporales refero.

TH. XLVIII.

**D**E Jure Justiniano Judex tantum secundum conscienci-  
am judicare, atq; sic in omnibus boni & innocentis viri officio  
fungi debet, juxta *l. 4. §. 1. ff. Familia Hercisc.*

TH. XLIX.

**P**ecunia ex feudo vendito redacta non est feudalisis.

TH. L.

FINIS.



**P**RUSZYCKI Juvenum flos, inclita Spesq; Tuorum;  
Dilectaq; domus portio grata mea.  
Perplacuerit tua nobis molimina MUSÆ  
Semper, & ingenui quos geris ore sales.  
Insuper exornant pudor atq; modestia vitam;  
Quæ Juvenes rara Numina mente colunt  
I pede felici: faveat Deus ausibus hisce:  
Laudibus ut resonet nostra Cathedra tuis.

ita  
Nobilissimo Dn. Autori Auditori  
suo industrio & Consalino  
suavissimo applaudit

**PRÆSES.**

---

**E**X POSITIS Sapiens novit concludere certa.  
Ex POSITIS mercans lucra parare solet.  
Tu quoq; de Cathedrâ POSITIS inquirere verum,  
Et specimen docti ferre laboris aves.  
Talibus ex POSITIS Conclusio certa sequetur  
Quando redux patrios sospes adibis agros.

His Nobiliss. Dno. Respondenti abiturienti felicem reditum doret

**JOH. CHRIST. VOLZ.**  
U. J. D. & Prof. Sec.





**S**icut Apis, rutilans cum iustrat  
Cynthius orbem,  
Huc illuc volitans dulcia mella  
legit.  
Et benè congestò nitidorum ger-  
mine florum,  
Hyblæò complet nectare ritè  
favos.  
Hactenus ingenuò studiò sic per-  
volitasti  
Jure-peritorum, doctaq; scripta  
Sophum  
Egregiamq; penum rerum Tibi,  
Amice, parasti;  
Inde tuam frontem mellea pal-  
ma manet.

*Quod Nobiliss. atq; clarè Doctò Dno. PRU-  
SZYCKI, Auditori suo hactenus, diligentia,  
& summâ mentis alacritate nulli secun-  
do, gratulaturus ipsi simul de egregiò hóc  
eruditionis specimine feliciter presagivit.*

**ACHAT. CHRIST. RANGER.**

U. J. D. P. P. & Const. Samb, Affess.



Königsberg, Piss., 1686-94

ULB Halle 3  
004 356 780



*R*  
*H.*


*WMA*











B.I.G.

Farbkarte #13



1686, 5

6

JURIDICA  
AS ALIQVOT  
SES,

*My*

ens  
n  
IS FAVORE,  
MPLISSIMI ICTORUM  
ONSENSU,  
IA PATRIA  
RESIDIO

$2\frac{1}{2}$

RI  
*ultissimi, Amplissimi  
tissimi,*

ORI PAULI,  
RIM. NEC NON SEREN.  
T JUDICII AULICI RER: CRIM:  
pore Facult. Juridic. Decani  
ris, Praeceptoris, atq; Hospi-  
tatissimi fidelissimi,

ventilandam proponit  
PRUSZYCKI,  
NTE PRUSSUS

NO M DC. LXXXVI  
I HORIS CONSUETIS  
MONTI  
*ia Reichianâ.*

